

Iuntas hæc signi erat conditionalis, et si conditio non fuerit expressa. Iam verò notum est ex hypothetico non rectè inferri categoricum.

VIII. *Ab efficacitate qualicunque non est concludendum, ad efficacitatem salutarem.* Sic est aliqua efficacitas vocationis externæ, quâ fit ut homo sæpe sentiat motum & gaudium in corde *Luc. 8. Heb. 6.* Verùm ista efficacitas non est salutaris: quo respectu vocatio externa dicitur inefficax.

IX. *A sufficientiâ causarum secundarum non licet argumentari ad sufficientiam omnimodam.* Ita legimus *Esa. 5* Deum dicere, se omnia adhibuisse media in vineâ suâ excolendâ, quæ nempe in ordine causarum secundarum, sive mediorum ad conversionem hominis adhiberi solitorum, sufficiunt. At gratiam suam iis non impendit: quia non erat ad hoc obligatus; sed ipsi tenebantur media ista acceptare & ritè collocare.

X. *A voluntate Christi humanâ ad divinam non valet argumentum.* Sic Christus *Matth. 23.* dicit, se voluisse congregare Iudæos, scil. per prædicationem Evangelii, quatenus erat propheta.

XI. *Ex propepositione distributivâ in genere à singularium non rectè inferitur distributiva in singula generum: hoc est, ex propositione generali*

generali